

ORZECHOWSKI, PAULUS BOGUSLAUS DE ORZECHOW

**Panegyricus in solennem festivitatem, post
Bredam expugnatam, inque recens ortam
foundationem illustris scholæ ac collegii
Auriaci...**

Bredæ
1646

EOD – Miljoner böcker bara en knapptryckning bort. I mer än 10 europeiska länder!



Tack för att du väljer EOD!

Europeiska bibliotek har miljontals böcker från 1400-till 1900-talet i sina samlingar. Alla dessa böcker går nu att få som e-böcker – de är bara ett musklick bort. Sök i katalogen från något av biblioteken i eBooks on Demand- nätverket (EOD) och beställ boken som e-bok – tillgängligt från hela världen, 24 timmar per dag och 7 dagar i veckan. Boken digitaliseras och blir tillgänglig för dig som e-bok.

EOD bokens fördelar!

- Få samma utseende och känsla som med originalet!
- Använd ditt standardprogram för att läsa boken på skärmen, zooma och navigera genom boken.
- Skriv ut enstaka sidor eller hela boken.
- *Sök:* Använd fulltextsökning för enskilda fraser.
- *Klipp & klistra:* Kopiera bilder och delar av texten till andra applikationer (t.ex. ordbehandlingsprogram).

Villkor för användning

Genom att använda EOD-tjänsten accepterar du de villkor som ställs av biblioteket som äger den aktuella boken.

- Villkoren på svenska: <http://books2ebooks.eu/odm/html/nls/sv/agb.html>

Fler e-böcker

Redan nu erbjuder 30 bibliotek från 12 europeiska länder denna service.

Mer information finns tillgängliga via <http://books2ebooks.eu> alla boken.

- <http://search.books2ebooks.eu/>

PANEGYRICUS
 I N
 SOLENNEM FESTIVITATEM,
 P O S T
 BREDAM EXPUGNATAM,
 I N Q U E
 RECENS ORTAM FVNDATIONEM
 ILLVSTRIS SCHOLÆ AC COLLEGII
 A V R I A C I,
 A U S P I C I I S
 C E L S I S S I M I A R A V S I O N E N S I V M P R I N C I P I S
FREDERICI HENRICI,

Dictus in Illustris Auriacæ Scholæ Majori
 Auditorio,

à
 PAVLO BOGVSLAO de ORZECZOW ORZECZOWSKI
 Equite Polono

A° M DC XLVI. die x. Octobris.



B R E D A E,

Ex officinâ JOANNIS à WAESBERGE, Illustris Scholæ
 ac Collegii Auriaci Typographi Jurati. An. 1646.

ILLVSTRISSIMO
DOMINO,
Dⁿ. ZBYGNEO de GORAY
GORAIKI,
CASTELLANO CHELMENSI,

&c. &c.

PRÆSIDI
IN NVPPERIMO CONVENTV THORVNENSI

EX PARTE

REFORMATORVM.

NEC NON

MAGNIFICO AC GENEROSO

DOMINO,

Dⁿ. STANISLAO de ORZECROW
ORZECROWSKI.

DOMINIS, AVVNCVLO, AC PATRVO,
OBSERVANDISSIMIS, DEVOTO GRATI
AFFECTVS CVLTV,

L. M. Q. D. D.

PAVLVS BOGVSLAVS de ORZECROW
ORZECROWSKI.

ILLVSTRIS SCHOLÆ AVRIACÆ
CVRATOR AMPLISSIME AC NOBILISSIME,
RECTOR MAGNIFICE,
SPECTATISSIMI AC PRVDENTISSIMI VIRI
MODERATORES VRBIS BREDANÆ,
PROFESSORES CELEBERRIMI,
ECCLESIASTÆ REVERENDI,
DOCTORES CLARISSIMI,
AVDITORES OMNIVM ORDINVM GENE-
ROSI, NOBILISSIMI, PRÆSTANTISSIMI,
TVQVE LECTISSIMA STVDIOSORVM
CORONA.



Atalis dies Optime, qui annuo recur-
su Candidus elucescis munitissimâ
huic *Urbi*, in quâ unâ *Bataua Respu-*
blica salutis suæ robur agnovit, &
AVRIACVM peculium, jure suo pristinum *Do-*
minium sibi vendicavit. Nonus à liberatâ *BREDA*
numeratur annus, cujus meritò hodiernus deci-
mus Octobris dies solenni Romanorum formulâ
Candidus dicendus est, *Urbi huic, Districtui Tori*,

Civibus & Agrestibus : Hac quippe die hostili
 praesidio solutis , cujus injurias , internis exactioni-
 bus , externis excursionibus , hominum pecudum-
 què abactu , miseri ac inopes ad fastidium usque to-
 lerarunt . Nunc justa , sed & felicia lætitiæ signa
 dantur ! quæ antiquitatis obscuritatem , hisce so-
 lennibus quotannis frequentatis , antevertent , ne
 posteritas ex occulta invidia defraudetur , cujus
 maximè interest , gloriosum *Principis ac Imperatoris*
 sui nomen , veteri firmandum memoriâ , utique tu-
 eri , ac venerari . Hæc præfatus , quâ ratione ,
omnium Ordinum Honoratissimi Auditores , in publi-
 cum modò prodire audeo , multorum procul dubio
 animos ad dubios ac incertos sermones , ut apertiùs
 dicam , ad scommaticos , utquè molliùs , ad inuti-
 les provocando ? Accusabitur præmaturus ardor
 dicendi juvenilis , & quod rei interesse censebitur ,
 ex primo cathedræ hujus ascensu præcox quædam
 vanæ gloriationis captatio . Attamen hisce , nihil
 ego prorsùs supra bonum ac honestum deterritus ,

nec

nec quidem ipsa arduâ , orationis magni momenti ,
 ac felicitatis bonique omnis , elatâ materiâ perculsus
 sum. Erigunt me rectorum Arbitrorum longè
 diversâ judicia , quæ maturâ opinione præsens co-
 nomen , in meliorem trahent partem , & benevolo
 applausu æquum propositum firmabunt ; quo , in-
 ter lætantium acclamations , vocem quoquè me-
 am continere é contra ratus , duplici nomine gra-
 tulabundus *Urbi* huic assurgo. Hæc enim vendi-
 catae libertatis suæ felicitatem , non solùm hæc-
 nûs ex continua ac constanti *Imperatoris* ac *Princi-
 pis* sui clementia recordatur , sed nunc in præsens
 ex superabundanti benignitate ejus immensè æsti-
 mat ac admiratur , dum eam ad publicum priva-
 tumve commodum ex fundatione *Illustris Scholæ* ,
Illustrisque Auriaci Collegij , plausibiliter metitur.
 Tanta hujus *Urbis* felicitas , nec non pro incepto
 molimine meo militare videtur , qui inter explen-
 dum publicè concepti gaudii ritum , *Amplissima hu-
 jus vestra Præsentiæ* audiendi benevolentiam , gratiosè

potior : Quodquè unum suffecerit mihi in fidem testimonii , me inter lætos invicem lætabundum , miscuisse gratulationes , cum admiratione tantæ felicitatis , tantæ libertatis , tantæquè *Principis* gloriæ.

Olim magna pacis æstimatio fuit , & non nisi belli amore turbata. Quæ demùm æstimatio ad speciosa nomina delapsa , caritatem pacis , quæ bella hodiequè deponere inhihet , cum multorum infortuniis post se traxit. Nec immeritò inanis est libertatis illa jaçtatio , quæ specioso pacis fundamento innititur. Quia itaquè pacem extra pacem quæram , quâ solâ unicum salutis duramentum humano generi accedit ? Cedat hîc , necesse est , ratio experientiæ , cujus vestigiis *Experientissimi* Medicorum non nisi in occultissimis morbis solum insistent : quippe occultum prorsùs judicandum est ex specioso pacis nomine commune malum , cui hætenùs conditiones potiùs partium durissimæ , quàm occasiones precum ac votorum frequen-

quentes , remediorum viam præclusere. *Batavorum Respublica* , ac in hâc , olim infinitis sumptibus expugnata , haudquè pridem majori cum gloria recuperata *Urbs B R E D A* , experientiæ illius vim addit & exserit. Hæc gravissimi mali sui , quod illam extra justum *Dominium* fluctuantem ac oppressam comitabatur , nullum salubrius remedium toties professa est , quàm quod in ea libertate invenit , ubi pacis speciosum nomen in concordiam ac potestatem coaluit. *B R E D A* est , quæ nunc in sinu suo eâ fruens pace gaudet , cui felicitates unâ omnes famulari assereres. In bello reperit securitatem ; in securitate splendidissimæ potentiæ confidit ; in splendidissima potentia *Caput Præsidii Clarum ac Illustre* admiratur ; inquè hoc Præsidio *Celsissimum ARAVSIONENSIVM Principem* , Dominum *B R E D A E* Clementissimum veneratur. Felices subditi , qui de statu ejuscemodi gloriamini , quod securus sub *Magni Principis & Clementissimi Domini* tutelâ recubet ac quiescat ! Undiquè admiranda est felicitatis
vestræ

vestræ affluëntia, inter omnia reliqua Fœderatæ Con-
 cordiæ membra! Amœnissimam terræ regionem
 occupatis, quæ ex occasione aspectus, plurimis Du-
 cum Militumquè tanto oblectamento cessit, quod
 ipsum, si non omnibus, multis saltem Europæ lo-
 cis, denegârunt: Frugum pabuliquè copiam ager
 vester undequaquè profert: Adjacentia prata, ferè
 continuis virgultis texta, rivisquè creberrimis di-
 stincta, animo ac oculis gratissimè arrident: Cœlum
 ipsum ab noxia rigiditate alienum, salubrioris aëris
 beneficio longè alacriores, ad munia cuius expedien-
 da, incolas peregrinosquè, qui id imprimis ex
 crebra mutatione animadvertunt, reddit ac efficit.
 Non Thessaliæ loca, non Boëtiæ, non Sicilia, per
 longinqua itinera investigentur, quæ ab amnibus
 irriguis, à ripis gramine viridibus, abque amœnissi-
 marum arborum umbrâ, mirum in modum com-
 mendantur: Ad illa enim dum non omnibus ire li-
 citum, nec omnibus consultum, omnium illorum
 unam ac veram speciem in *BREDANO* tractu repræ-
 senta-

sentatam invenies, & inventam admiraberis. Verùm, quisquis es, nec frustrà, nec falsò, ad admirationem loci hujus Te invito, cujus descriptionem verbis meis quò minùs excultam, illam eò magis omnium commoditatum illarum fides, re ipsà approbante, proditura est. Cœterum, ipsum *Urbi BREDÆ* inditum nomen, hæctenùs incognito quasi augurio inhærens, auspicatò præsentia ex ipso rerum eventu augurari, animo meo infert. Ab *Aa* flumine, *Urbis* huius muros circumluente, *BREDÆ* nomen Brabantis conditum referunt: quibus, latè sese extendentem fluvium *Aa*, genio linguæ latinæ, *Breed Aa*, exprimentibus, conjunctione duarum illarum vocum, & ultimæ vocalis literæ elisione, *BREDA*, *Urbs* appellata est. Nimirum, non tam lato alveo *Aa* flumen sese explicat, quàm quidem pleno *Principum ARAVSIONENSIVM* favore effuso, *Urbis* incrementa, sensim, paulatim, dilatata, eidem in immensum accrevêre. Magnæ memoriæ *Heros, MAVRITVS*, *Princeps* animi maximi, primus

omnium fundamenta incrementorum *Urbis* jecit. Etenim, cui pro securitate prudentiæ pretium æstimatum est, eidem nequè ab animo fortia agitanti, quem à primis annis militari Architecturæ applicaverat, nequè à præclari instituti facto, munitis passim Belgarum oppidis, inter quæ *BREDA* potissimum numeranda, quicquàm decedebat. Ipsius *Oppidi* situs & opportunitas, suapte naturâ cultuquè commendatissima, *Principis* animum incenderat, ad extruendum absolutissimam *Urbis* munitionem, cujus exemplar militiæ peritis, quoties sermones de accuratis operibus ferebantur, illius unicæ proponebat. Quapropter belli artibus condiscendis, *Urbis BREDA* nuncupabatur; militiæque Palæstra diversarum nationum juventuti, commodissima instituebatur. Ut ut verò naturæ instinctu, curâ præsertim animorum exsuscitata, sæpius multæ belli artes inveniuntur, nequè tamen omnes pari *Minervâ*, quæ *Princeps* etiam ac *Inventrix* belli est, polleant; his auxilium, illis majus incitamentum attulere,

Principis ipsius curâ ac operâ delineatæ militares exercitationes, scriptoq; vulgatæ, ut hanc artis normam ac legem, quæ plerisque Regibus, Principibus, hostibus pariter ac amicis, non sine laude placuit, indefessò sequerentur. Sed nequè artes liberales, virtutum semina, inter arma tanti *Principis* postponebantur: artibus quippe bonis, etiam in ipso belli fervore, pax & quies indigebant, ut apta undiquè ad Reipublicæ sustinendam molem, belli pacisque tempore, assurgerent ingenia. Enim verò, sequuta aliquantò post *Principis MAVRITII* morte, labantibus ex recenti adhuc luctu ac dolore plerorumquè animorum rebus, grande addidit momentum ejusdem sanguinis ac animi *Princeps*, *FREDERICVS HENRICVS*, domi ac militiæ à *MAVRITIO* Fratre educatus. Is est, qui nunc superstes rebus *Batarorum* consulendo, publicæ Salutis consors, tot bellorum victoriis fines *Patriæ* protulit, totquè laureis coronatus, Hosti factus Formidabilis, Europæ ac Americæ Clarus, Suisquè Venerabilis.

Nec mearum virium est, seu animi seu victoriarum magnitudinem tanti *Principis* exprimere, quam passim per orbem circumlata fama, vel ideò comprehendere nequit, cùm indiès adhuc per heroica facta ac pia instituta celebretur. Fama nempe, omnia in majus extollit, ubi ad singula temporum momenta rerum transactarum novitate percrebescit: tùm enim ut est fœcundissima, sic imprimis in novis cœptis validissima. Hic quoque dies famæ illius fœcunditatem, anniversariis gestarum rerum sacris; ipsam verò vim ac potentiam, piissimo ac gloriosissimo instituto, sub idem ferè tempus effert. Nequè hîc iterùm augurii illius immemor fio, cum *Urbis* hujus felicitas, ex imposito *BREDÆ* nomine, indiès *Principum* suorum accrescentibus beneficiis, interruptâ felicitatum copulâ contineatur, ita ut meritò fortunam fortunatam divinitùs sibi concessam revereri necesse habeat. Floruit militaris Fortitudinis gloria sub jactis primis iis incrementorum *Urbis BRBDÆ* fundamentis; quæ

quæ nunc à recepto & propagato vigore beneficentissimi *Principis* ad eam demùm ingeniorum culturam efflorescit , ex qua desiderabilis eruditio literarum , naturam laudabilem eximiè reddet ornatum. Ecquid unquàm magis fortunatum statum *BREDANA Communitas* comminisci , aut optare potuisset ? Siquidem eam *Principis* ac *Domini* sui gloriam ad stuporem intuetur , quâ *Religioni* de vigore , *Urbi* de tutamine , *Ci-vibus* de libertate, his ac peregrinis de pace , omnibus deniquè de exercitiis militiæ , morum ac literaturæ prudenter cautum , ac benigniter prospectum est. Quâ salubri intentione , erecta ante annos aliquot militarium artium in hac *Urbe* Palæstra , nunc demùm mirandâ beneficentiâ liberalissimorum in fundationem *Illustris Sholæ* , *Illustrisque Auriaci Collegii* dicatorum sumptuum , ab *Succeßore* de domo ac sanguine *NASSOVIORVM* , ad laudabilis posteritatis memoriam , exornatur : quandoquidem nullum majus disciplinæ militaris ornamentum esse potest , quàm quod

quod ex vinculo artium liberalium comparatur ;
 quo , illustria ingenia , ad rectum fortunæ suæ cul-
 tum potissimum excitantur. Sanè , condignus
 hicce locus est quorumvis Nobilium ac Generoso-
 rum ingeniorum , cum hîc duo reperiant , quæ ho-
 mines , five exiguo , five mediocri loco natos , in
 amplissimo Nobilitatis gradu locare soleant : scien-
 tiam videlicet rei militaris , & juncta cū Eruditione
 togatam Prudentiam ; quo utroquè partum Nobi-
 litatis Decus , potenti præsidio à Posteris conser-
 vatum est. Attamen , ne quid ab loci hujus di-
 gnitate , meâ minus condignâ illius æstimatione
 detrahatur , Regiam appello sententiam , non
 cuiquam privatorum , sed *Principi* mandatam.
VLADYSLAVS IV. est , POLONIÆ & SVECIÆ
REX, ac MAGNVS MOSCHORVM DVX, ad Barbaro-
 rum terrorem in salutem *Regni* natus , *Rex &*
Dominus meus Clementissimus ; *Qui* antiqui
 stemmatis *Principi Czarturiscio*, inter peregrinan-
 dum , ex occasione *BREDANÆ* obsidionis ,
 sub

sub Felicissimi *Imperatoris* auspicio , hanc , Militarem Scholam commendabat , ubi haustæ ex chartis umbraticæ doctrinæ , nunc sibi profutura , tanquàm in vero exemplari , ipse exemplum experiretur. Non , quod in *Patria* , in qua ortus esset , similibus experimentis excluderetur , quæ pace quamvis fruatur , haud inde otio Generosos animos torpere sinat : sed , ut ingeniorum artem , pro faciendo humani sanguinis compendio , quem *Nobilis Polona Juventus* in salutem *Regni* sui , immò totius *Christianitatis* , Barbarorum furrorem reprimendo , ubertim profundit , illic præfertim disceret , ubi *AVRIACI* Vim ac Ingenium cum *Urbe* validissima committi , cerneret. Quocirca libera Nobilium capita , ad hoc militiæ Gymnasium , *Regio* ac *Principum* elogio commendatissimùm , non sine sui usu ac ornamento , imposteroùm concurrerint , in quo animum olim Fortitudine , nunc unà ac Virtute , ad quam *Illustris Scholæ* plantatione aditus patescit , firmiter

ter ac laudabiliter roborare poterunt : siquidem hæc sententia , & Veterum iudicio , & experi-
entiâ comperta , immobilis stat ac permanebit ;
nullam in mundo reperiri posse fortunam , quam
literarum non augeat ac compenset gloriosa notitia.
Sed , ut in ipso quoquè orationis meæ decursu , tanto
piissimo gloriosissimi *Principis* instituto , futurum
propensum Numen Divinum , ex spontè influ-
enti augurio , inter annalium Illustrium illius facto-
rum evolutionem orto , prosperè exequar , ju-
stissimo præconio repetitâ , quin & auctâ exordii
mei voce , occlamo : Natalis dies Optime ,
non solùm felicitati hujus *Illustris Scholæ* , *Il-
lustris Auriaci Collegii* , *Totiusquè Reipublicæ Fæ-
deratæ* , sed & augmento gloriæ ipsius *Principis*
ac *Imperatoris* innexus , iterùm magisve Candi-
dus elucescis , cùm fausti illius diei in anno ab hoc
retrogressi decimo & septimo , lætam etiam
iniicis memoriam , qui unus idemquè ex præclara
Sylva-Ducum obsidione , atquè jam ex ipsa *Illu-
stris*

Stris Scholæ ac Collegii AVRACI fundatione omnibus & singulis affulget. Revolvere mihi liceat Auditores, non prorsus contemnendam Clima-
 tericorum doctrinam, si præsertim ab ea omnis superstitio absit. Habent æta tes mundi suas vicissitudines ac mutationes, quarum nonnullas fatales, quasdam verò legales esse volunt, ex certa cognitaquè scalarum ac graduum computatione, ad septenarium ac novennarium numerum præcipuè relatâ. Nempe, historia-
 rum edocumento, de fatalibus bellorum, regnorum ac rerumpublicarum vicissitudinibus satis superquè constat; quibus singulis certa à Deo momenta destinabantur, seu ad rerum incrementa, seu ad earundem everfionem directa. Quin, non sine magnâ attentione gravissimam septenarii numeri rationem observamus, partim in ipsis sacris literis, partim ex ipsa naturæ humanæ ortus ac propagationis constitutione. In creatione mundi hujus, totus ille, septem diebus à

summo omnium rerum conditore absolutus est :
 Immò parvus alter mundus , omnium creatu-
 rarum Nobilissimus , ad solius DEi imaginem
 conditus , eundem quoquè totidem dierum or-
 dinem , in sui ipsius formatione , ad septimum
 usquè diem sine refectione perdurans , retinet ac
 respicit. Consonum quapropter sanæ rationi ,
 & experientiâ exploratum manet , uti ipsas ho-
 minum ætates , seu in melius , seu in deterius,
 suas per septennalem scalam mutationes recipere,
 nec non simili quoquè modo humanas actiones
 ad par temporis spatium , suos fortunæ eventus,
 ex elato seu depresso statu , agnoscere ac expe-
 riri. Non jam referam , quod suis seculis co-
 gnitum ad posteros manavit : Verùm ultrà ac
 fortuitò oblatum augurium ex Climactericorum
 informatione scrutatus , pro exemplo hujus no-
 stri ævi , præsens *AVRIACÆ Potentiæ ac Libera-*
litatis memorabile institutum iniiciam. Operæ
 enim erat , ut quam sub *Optimo Principe &*
Respub-

Respublica Batava, & hæc ipsa *Urbs* felicem egerit vitam, ut ejus quoque respectus, ad augurii elementa compositus posterorum memoriae prodesse possit. Annus, à Christi natalibus, Millesimus sexcentessimus, & supra Vigessimum, Nonusolvebatur, qui dubiam *Batavorum* sortem, Felicissimi *Imperatoris* Prudentiâ ac Fortitudine, quàm plurimis hostilibus præfidiis subactis, firmam & securam reddiderat. Utquè propiùs mentis meæ sensum, rei, quam specto, applicem: Sub idem tempus *Sylva-Ducum*, de quâ superbè hostis gloriabatur, expugnatione ad *Patriæ* decus vindicata, non solùm prosperrimum eventum, tum ex re ipsa præsentem, sed & futurum, qui nunc apparuit, indigitavit: Ita quidem, ut vicissitudinum climactericarum Duplicatum Novennarium gradum ex annorum supputatione elicere, Septennarium verò ex Mensium ac Dierum concordantia observare licuerit. Mense videlicet Se-


ptembri , hujusque die , post Decimum , Septimo , *Sylva-Ducum* , *Victoriae Simulacrum* , *Araustionensium Felicissimo Principi* , *FREDERICO HENRICO* , in omnium animis suspendit. Demum , Annus , ab illius Victoriae memoria , ad hunc usque , quem stylo Christiano usurpamus , iterum ultra Decimum Septimus , bis Novennarium ingressus , auspicate exitit , qui suspenso *Victoriae Simulacro* , aliud *Monumentum Pietatis* , & *Principe Dignissimorum beneficiorum* , in erectione *Illustris Scholae* , & *Illustris Auriaci Collegii* , die , rursus post Decimum , Septimo , ac vicissim eodem Septembris Mense , gloriosè appendit. Quà revolutionum utriusque climacterici numeri observatione , si quid à me secundum directam artis illius supputationem ac ratiocinationem non est attentatum , idipsum subtilioribus & in Mathesi abstractis ingeniis expendendum relinquo. Neque enim ingenii mei curiositate , ac incertâ
opl-


opinionem traductus sum : sed potius inter applaudentium gaudia , mente erectâ commotus, natis suâ sponte gratioribus quibusvis cogitationibus , nuncupanda vota , pro *Salute Urbis*, immò pro *Salute Principis* , ac propter *Illos pro Æternitate omnium Felicitatum* , promovere volui. Capis ergò *Urbs BREDANA* , partæ salutis tuæ uberrimum fructum , cùm lætitiæ tuæ triumphos , stato annorum tempore , velut in ipsum fontem gratissimè refundis. Quæque iterùm , recenti benignitate *Principis Tui* ac *Domini Clementissimi* , in gloriosissima fundatione bonarum literarum conspicua emines , diei hujus *solemnium Sacrorum Monumento*, amoris ardore ac stimulo *Vota Tua* pro *Æternitate Gloriosissimæ Auriacæ Fortune* , ac *Illius in Te Domini tranquillissimi* , adæquatis ad *DEum Immortalem* precationibus tuis , secura ac læta effundito. *Ibit in Secula liberatæ & pristino Dominio restitutæ Urbis BREDANÆ*

II P A N E G Y R I C V S

memoria , atquè ab ea belli pacisquè artes ,
& exempla Fortitudinis ac Prudentiæ , Mo-
rum ac Virtutum discent posteritatis Sectatores
Militiæ , Literarumquè Veri Cultores.

D I X I.





www.books2ebooks.eu